



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem
Varia Ervditione Noviter evoluta**

Pexenfelder, Michael

Monachii, 1675

Symbolum CIII. Castor & Pollux, Amicitiae idea.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

quæ tela jam iræ, jam amoris vibrantes; quæ tamen, si *Rationis* lumen accedat, è nubibus & vanis imaginationibus ortum habuisse deprehendentur, repentéque nubium instar evanescent. Quòd si imbecillior sit animus, & originem jaculorum non pervideat, sternetur à sagittariis illis, hoc est, semiferis *concupiscentis irascentisque* appetitus concitationibus subjicietur, & proteretur, quasi equinis Centaurorum calcibus.

SYMBOLUM CIII.

Castor & Pollux, Amicitiae idea.

Ex Variis.

Ethicè.

1. Castor & Pollux cur in cælo? 2. Vera amicitia. 3. Helena pestilens fidus. 4. Lubrica amicitia. 5. Concordiæ bonum.

Fratres erant hi, Jovis ex Leda, *Tyndari* regis *Oebaliæ* filia, quam Imperator ille cælicolùm sub cygni forma vitiavit. Exin ipsa peperit ova gemina, è quorum altero *Pollux* & *Helena*: ex altero *Castor* & *Clytemnestra* exclusi fuere. Sororum utraque, scilicet *Helena* & *Clytemnestra* turpissimis sese voluptatibus implicuit; ut appareret, qualem matrem habuissent: & quis partus sequeretur ex concubitu cygneas inter plumas commisso. Fratres à matre dicti sunt *Tyndarida*; qui postquam adoleverunt virtutem suam inter undas probavere, mare piratis liberarunt: meritique sunt, ut ob id inter deos pelagi adscripti, & *Apo-tropais*, hoc est, malorum *Depulsoribus* Divis sint annumerati; Græci eos *Διοσκύροις*, id est, *Jovis filios* appellant. Subinde in *Colchos* cum *Argonautis* navigarunt: qua in expeditione *Pollux Amycum*, *Bebryciorum* regem, omnes peregrinos secum decertare cogentem, interfecit. Dum reverfi, *Helenam* sororem etiamnum puellam à *Theseo* raptam, recuperarunt, *Aphidnâ* urbe, *Theseo* absente, expugnatâ; neminique vilata, præter *Æthram* *Thesei* matrem, quam captivam abduxerunt. Inde effectum est, ut reges & principes aliorum *Servatores*, ob eximiam clementiam *Dioscuri*, ab *Athenis* vocarentur. Horum alter fratrum, nempe *Castor*, equitandi peritissimus, arcum invenit & canes venaticos; *Pollux* pugil præstantissimus, auctor fuit artis certandi castu. De quibus *Horatius* lib. 2. serm. Castor

Castor gaudet equis ; ovo prognatus eodem
Pugnis.

Cúmque Castor à *Lycæo* quodam cæsus fuisset, ferunt Pollucem, quem Jupiter immortalitate donarat, à parente petiisse, ut fratri quoque vitæ æternitatem indulgeret : quod cum obtinere non potuisset, rogasse denique, ut dimidium suæ felicitatis, id est, partem immortalitatis Castori impertire liceret : qua re impetratâ, alternis mori & reviviscere cœperunt. De quibus Maro 6. *Æneid.*

Si fratrem Pollux alterna morte redemit,
Itque, reditque viam toties.

Id est, per vices ab inferis ad superos, & iterum hinc ad illos com-
meat. Cui fabulæ occasionem dedit *Geminorum* in Zodiaco natura, quo-
rum siderum altero oriente, alterum occidit. Meminit eorum *Venufi-*
mus lib. 1. od. 12.

Dicam & Alciden, puerosque Ledæ,
Hunc equis, illum superare pugnis
Nobilem : quorum simul alba nautis

Stella refulsit :

Defluit saxis agitated humor,
Concidunt venti, fugiuntque nubes:
Et minax (quod sic volvere) ponto

Unda recumbit.

Sunt enim amica nautis & propitia sidera, mitissimaque tempesta-
tis indices, ideoque navigantium servatores & liberatores habiti, & e-
quis albis invehì crediti. Fluxit hæc opinio inde. Ingens fortè tempe-
stas Argonautas in *Sigæo Troiædis* promontorio invaserat ; cúmque pro
illorum incolumitate Orpheus, navigationis comes, vota concepisset,
geminae flammæ circa Castoris & Pollucis capita apparebant. Secuta est
paulò post admirabilis tranquillitas maris, & ventorum : quocirca credi-
tum, inesse quandam juvenibus his divinitatem, & ignes illi cum postea
navigantibus apparerent, Castoris & Pollucis arbitrio & numine putati
sunt illucescere. Atque hæc flammæ cum geminae radiant, salutiferæ
existimantur vela facientibus ; secus, si una tantum spectabilis est : tum
enimverò dira pestis portenditur nautis, quam ipsi *Helenam* vocant. Sa-
crificabantur autem his diis agni candidi, tanquam Numinibus bonis,
faustis, felicibus ; tantæque veneratione à veteribus colebantur, ut sole-
rent per ipsorum nomina jurare. Hinc *Pol*, jurantis est adverbium ;

N n n n

nempe

nempe per *Pollucem* dicta firmantis: eratque juramenti genus cum viris, tum mulieribus commune. At *Ecastor*, *Mecastor*, *Percastor* apud Comicos proprium erat feminarum jusjurandum, quasi per ædem Castoris asseverantium; sicut *adipol*, erat fidem adstringere per Pollucis ædes, quæ Romæ extabant, & religiosè colebantur.

Ethica,

I. (a) Magnam Ethicæ doctrinæ segetem profert hæc fabula: Percurrendo, metamus aliquot manipulos. Primò fratres hi duo cœlum obtinuerunt justitiâ, fortitudine, constantiâ. Testatur Horatius lib. 3. Od. 3. quem locum adduximus Symb. 51.

Mythologus lib. 8. c. 9. Dicti sunt, inquit, Castor & Pollux in deos relati ob beneficia, quæ in homines contulerunt; cum multos sceleratos de medio sustulerint, & in populos, quos subjugarant, singulari clementia sint usi. Concordiam quoque propinquorum diis esse gratissimam, antiqui per hanc fabulam demonstrare voluerunt. Hæc ille.

II. (b) Ex ovo cygni provenerunt fratres hi; in qua ave candor laudatur & cantus. Nimirum furo caret sincera amicitia, & nescit esse colorata; & quis est concentus suavior, quàm benè consonantes amantium affectus? Castor & Pollux ita se amabant mutuò, ut alter pro altero vitam poneret, reciperetque. Ejusmodi *Gemini* fuere Pylades & Orestes, Pirithous & Theseus, Achilles & Patroclus, Æneas & Achates, Nisus & Euryalus, Damon & Pythias, Alexander & Hephæstion, Epaminondas & Pelopidas, Scipio & Lælius, & in sacris litteris, Jonathas & David. De Lucano & Tullo conjunctissimis fratribus eleganter Martialis lib. 1. epig.

Si Lucane tibi, vel si tibi Tulle darentur,
Qualia Ledæi fata Lacones habent.
Nobilis hæc esset pietatis rixa duobus,
Quòd pro fratre mori vellet uterque prior.
Diceret, infernas si quis prior isset ad undas:
Vive tuo frater tempore, vive meo.

Plutarchus in commentario de amicorum multitudine, ait, binos semper amicos fuisse memoriâ proditos. Est enim amicus animal unà quidem degens, sed non in armento, & graculorum caterva. Quod amicus dicatur *alter ego* vel *alter ipse*, id nihil significat aliud, quàm binariam

(a) *Castor & Pollux cur in cælo?* (b) *Vera amicitia.*

nariam esse amicitiae mensuram: etenim amare valde, amarique, inter multos locum non habet. Sed sicut amnes in multos divisi alveos fluunt imbecilles & tenues: sic vehemens amor in animo, si dissipetur in multos, enervatur. Unde fit, ut ea animalia fortum suum magis ament, quae unum tantum gignunt. Et Cicero in Laelio: Quanta autem vis amicitiae fit, ex hoc intelligi maxime potest: quod ex infinita societate generis humani, quam conciliavit ipsa natura, ita concreta res est & adducta in angustum, ut omnis charitas aut inter duos, aut inter paucos jungeretur. Et ibidem: Est autem adeo rara ista inter duos eximia, & perfecta videlicet amicitia, ut ex omnibus saeculis vix tria, aut quatuor numerari amicorum paria possint. Rara sane fuit haec duorum fratrum conjunctio, ut alter pro altero tam paratus esset mori, quam vivere. Nec immerito Castor & Pollux crediti sunt salutare navigantibus fidus, praesertim quando simul se praebent aspectabiles. Vis haec est Concordiae, miram affert serenitatem animis, & aliis quoque tanquam benigni sideris radios impertit, inque amorem allicit omnium rerum, ait Tullius lib. 1. de finib. quas ad beatè vivendum sapientia comparavit, nihil est majus amicitia, nihil uberius, nihil jucundius. Quid dulcius, quam habere, quocum omnia audeas sic loqui, ut tecum? Et Seneca: Quantum bonum est, ubi sunt preparata pectora, in quae tuto secretum omne descendat, quorum conscientiam minus quam tuam timeas: quorum sermo solitudinem leniat, sententia consilium expediat, hilaritas tristitiam dissipet, aspectus ipse delectet. Deinde cum vita nostra instar maris variis agitur procellis, hos solos amicos veros dixeris, qui quantiscunque fluctibus & tempestatibus jactetur navis, non sinunt se dissociari; perstant in adversis, ulli fortunae cedere nescii. Larvam amicitiae gerunt, quos sola felicitas jungit, junctosque conservat: Queritur de his Pelignus vates. 4. Pont.

Dum mea puppis erat valida fundata carina,

Qui mecum velles currere, primus eras.

Nunc quia contraxit vultum Fortuna, recedis;

Auxilio postquam scis opus esse tuo.

Arragonum rex Alphonsus hoc genus vertumnos volucris marinis comparabat, is enim ex Sicilia domum navigans, vidensque aves circumvolantes triridem, & cibum expectantes, escam eis projecit. Quae certatim disceptata avolarunt. Atque his similes sunt, inquiebat, qui obsequiorum tamdiu sunt studiosissimi, quamdiu novis beneficiis

N n n n z

inhiant;

inhiant; quibus Saturati avolant, donec ad officium revocentur necessitate. Antisthenes apud Laërtium lib. 2. c. 8. ait: Vasa explorantur pulu & tinnitu; amicorum fides rerum aduersarum incurfu. Amici temporarii comparantur pallio viatorio; quod in serenitate abjicitur.

Et quia supra inter raros amicos numeravimus Nisum & Euryalum, de quibus patheticè Maro 9. Æneid. quædam ex eo ad officium amicitie pertinentia breviter sunt animadvertenda. Nisus conspicius Euryalum sub hostili ferro laborantem, ut amicum neci subduceret, sese ipsum succidantem hostiam obrulit, dum clamavit:

Me, me: adsum, qui feci: in me convertite ferrum,
O Rutuli.

Atque ut vitam ei exoraret, aliam adjecit causam juvenis dimittendi:

Tantum infelicem nimium dilexit amicum.

Quasi diceret: amicitie legibus ductus (quid à culpa remotius, imò quid ex officio honestius?) in hac se mihi infelicitate comitem præbuit: mei, inquam, ductus amore, non odio vestri. Hic tantum illius error est, quem, quia totus est ab amicitia, condonate. Cum verò nihil his proficientibus, aspiceret Euryalum morientem, sumpta de ejus interfectore ultione,

Tum super exanimem sese projecit amicum

Confossus, placidæque ibi demum morte quievit.

Maximæ virtuti æternum elogium maximus Poëta cecinit:

Fortunati ambo: si quid mea carmina possunt,
Nulla dies unquam memori vos eximet ævo.

De Pylade & Oreste mentionem fecimus Symbol. 52.

Damonem & Pythiam Pythagoreos laudibus effert Cicero de offic. quos ait hoc animo inter se fuisse: ut cum eorum alteri Dionysius Siciliae tyrannus diem necis destinasset: & is qui morti addictus esset, paucos sibi dies commendandorum suorum causâ postulasset: vas factus est alter ejus sistendi: ut si ille non revertisset, moriendum esset ipsi: qui cum ad diem se recepisset, admiratus eorum fidem tyrannus vitam utriusque servavit, & ut se tertium ad amicitiam inscriberent, petivit. Hæ sanè vires, amicitie: inquit hæc memorans Valerius Max. lib. 4. cap. de amicitia, mortis contemptum ingenerare: vitæ dulcedinem extinguere: crudelitatem mansuefacere: Odium in amorem convertere: poenam beneficio pensare potuerunt: quibus penè tantum venerationis, quantum deorum immortalium ceremoniis debetur. Illis enim publica salus: his privata

continetur: atque ut illorum aedes sacra domicilia, ita horum fida hominum pectora quasi quodam sancto spiritu referta templa sunt. Hæc ille. Amicum, ut Aristoteles scribit lib. de virtutibus, oportet esse liberalem, hospitem, comem, facilem moribus, humanum, misericordem, benevolum, omnibusque gratiosum. Unde versiculi:

Si quis in hoc mundo vult multis gratus haberi;

Det, capiat, quærat, plurima, pauca, nihil.

Si ulla in re, certè in amicorum opus est delectu. Seneca epist. 3.

Delige, quem diligas. Pythagoræ dictum est: *Ne cuius dexteram inieceris*, id est, ne temerè quemlibet in familiaritatem admiseris. Effatum Divi est Hieronymi: *Amicus diu queritur, vix invenitur, difficile servatur.* Monet adagium: *Nemini fidas, nisi cum quo modicum salis absumpseris.* Vide, cui fidas; & arcana tua credas. Alexander Hephestioni amicissimo oculos sensim ad litteras arcanas admoventi, non prohibuit quidem, sed annulum sigillarem ori appressit. Plutarch. Juxta Horatium, Amicus est animæ dimidium, juxta Aristotèlem: Amicus est anima in duobus corporibus: & Amicus est *alter ego*; igitur qui amicum non habet, se non habet. Et ut Petrus Bleffensis ait: Amicitia est divitibus pro gratia: pauperibus pro censu; exulibus pro patria: imbecillis pro virtute: pro medicina ægrotis: mortuis pro vita. Amicitia symbolum quidam in pomo declaravit, quod qui æqualissimè divideret, verus esset habendus amicus; qui majorem ejus sumeret partem, utilitatis suæ studiosus: qui minorem, adulator esset censendus.

In amicitia maximè requiritur æqualitas, & officiorum communio. Pollux dimidium immortalitatis cum fratre Castore communicavit. Conqueritur Poëta de raritate amicorum Romæ.

Quòd non sit Pylades hoc tempore, non sit Orestes,

Miraris? Pylades, Marce, bibebat idem.

Nec melior panis, turdusve dabatur Oresti:

Sed par, atque eadem cœna duobus erat.

Tu Lucrina voras: me pascit aquosa Peloris:

Non minùs ingenua est & mihi, Marce, gula.

Te Cadmæa Tyros, me pinguis Gallia vestit:

Vis tu purpureum, Marce, sagatus amem?

Ut præstem Pyladen, aliquis mihi præstet Orestem:

Hoc non sit verbis: Marce, ut ameris, ama.

Castor & Pollux virtute excelluerunt: nam illa demum vera amicitia est, quam probitas conciliat. Eligendi sunt boni, evitandi mali, non minus ac scopuli, ad quos si alliditur navis amicitiae, mergetur. Etiam spinæ colligantur in fasciculos, sed non alia de causa, quam simul ut accensæ crepitent inter flammæ. Præ aliis tibi fugiendos putes (juventutem alloquor,) qui feroces sunt & intractabiles: qui iudicio suo pertinaciter insistant; qui vafri & aliorum secreta rimantes, sua consilia occultantes, sermone ambiguo utentes, & simulantes ignorare, quod sciunt. Item arrogantes, & qui despiciunt, quidquid à se alienum esse cernunt; iracundos, & pronos in lites, loquaces, sanniones, maledicos, importunos, nugatores, blaterones, thraones, & ante omnia lascivos verbis & factis, impudentes, mendaces, blasphemos, aleatores, potores, refractarios, dissolutos, pietatis osores; & illos nominatim, qui, ut vir doctissimus Ludovicus Cressolius scribit, parentum & præceptorum liberati custodia, & in omnem effusi voluptatem, aut in popinis harent, aut nocturni grassatores volitant, aut pudicis foribus insidiantur, aut choreas ducunt, Trossuli & formosuli amatores, vino & deliciis fracti, odoribus languidi, muliebribus nugis soluti, vitio elumbes, & inverecundi: nam veteri versiculo:

Noscitur ex socio, qui non cognoscitur ex se.

Ut morbi corporis, sic animi, facillimè communicantur. Platonis familiares gibbum ipsius, Aristotelis amici linguæ hæsitantiam: Alexandri convictores flexam ejus cervicem & asperitatem vocis imitabantur. Atque ut vitia per convictum & societatem, sic virtutes per consuetudinem ducuntur. Quod si nulla bestia tam fera & truculenta cernitur, quæ diuturno cum hominibus commercio feritatem non exuat; longè minus ad illaudatas actiones sese dabit, qui cum benè moratis frequens est. Confirmat hæc omnia sapientissimus Hebræorum Prov. 22. *Noli esse amicus homini iracundo, neque ambales cum furioso: ne fortè discas similitas ejus, & sumas scandalum anime tue.* Et Prov. 13. *Qui cum sapientibus graditur, sapiens erit: amicus stultorum similis efficietur.*

III. (c) Diximus Castorem & pollucem, quando simul apparent, salutare esse navigantibus flammæ; secus, si una tantum videatur; eamque vocari *Helenam* haud dubium tempestatis imminentis signum. Quid hinc ad mores? feralem esse facem, mulierem discordem & rixosam; quæ nec pacem ipsa pati possit, nec sinat alios quiescere; turbatricem non modò concordie domesticæ, sed etiam non rarò publicæ. Exempla

(c) *Helena pestilens sicut.*

pla docent, quas tempestates concitaverint exitiales hæ faces. Ut Troia incendio deflagraret, quis ignem subdidit nisi Helena? quæ quot radios ex oculis, tot faculas jaculata est, quibus in amorem & odium fortissimorum virorum pectora incendit, & Priami regnum funditus evertit. Clytemnestra verò Helenæ soror, qualis furia extitit? Ægisthi propinquitate conjuncti, fœdissimis amoribus capta, ut liberiùs cum adultero consuesceret, redeuntem ex bello Trojano maritum Agamemnonem per insidias interfecit, idem factura Orestis filio, nisi eum Electra soror certissima neci eripuisset. Quid pestilentius ac dirius his flammis? quæ aspectu primo videntur esse sidera ob venustatem formæ; sed nimium ferale lucent, instar cometæ:

----- non illum navita tutò,
Non impunè vident populi.

IV. (d) Animadversione dignum est, quòd Castor & Pollux ex ovo fragili prodierint: quæ re ostenditur, quàm lubrica sit hominum etiam conjunctissimorum fides & amor. De Carolo VII. Galliarum rege memoratur, ipsum aliquando è familiarium suorum charissimo sciscitatum, quid ejus cum rege amicitiam infringere aut labefactare posset? illumque respondisse intrepidè, *un affront, Sire*. Unus contemptus, domine. Constantiam amicitia exprèsserunt veteres hoc emblemate. Pingebatur juvenis formâ vegetâ, detecto capite, tunica rudi indutus, in cujus fimbria scriptum erat: *Mors & Vita*. In fronte: *Æstas & Hiems*; habebatque latus apertum usque ad cor, cui inscriptum: *Longè & Propè*. *Forma juvenilis* indicat amicitiam semper virentem; *nudum caput*, fidele obsequium; *rude indumentum*, tolerantiam laborum; *æstas & hiems* prospera & adversa; *latus & cor apertum*, simplicitatem & sinceritatem; *longè & propè*, amoris in omni loco constantiam.

V. (e) Castor & Pollux inter *ἀνεζιγάνους*, seu *malorum depulsores*, sunt numerati. Nec immeritò. Nam qui concordēs sunt inter se, & pacis amantes, etiam alios ad voluntatum conjunctiones inducunt, eaque, quæ discordiam, & mala inde orientia invehere possent, amoliri student & averruncare. Superiùs meminimus, *Discordiam*, unam esse inter furias, Martis currum stipantes. Ejus imaginem pingit Petronius:

Intremuere tubæ, ac scisso Discordia crine
Extulit ad superos Stygium caput: hujus in ore
Concretus sanguis: contusaque lumina flebant:

Stabant

(d) *Lubrica amicitia.* (e) *Concordia bonum.*

Stabant irati scabra rubigine dentes ;
 Tabo lingua fluens , oblecta draconibus ora ,
 Atque intra toto laceratam pectore vestem
 Sanguineam , tremulâ quatiebat lampada dextrâ.

Quale monstrum hoc atque portentum ? Hi sunt effectus disjun-
 ctionis animorum ; hi fructus ; livor , irâ , odia , jurgia , rixâ , cades ; ali-
 menta furialis lampadis ; & mille calamitates aliâ ; quæ omnia mala , be-
 nigno *geminorum* Siderum , Castoris & Pollucis , influxu , veluti maris
 infana tempestas , depelluntur & dissipantur.

De Cyllaro equo à Polluce infesso , & cum eo in cælum translato ,
 ubi Equicalus seu Equus minor vocatur , extat epigramma :

Fraterno ut junxit Pollucem Jupiter astro ,
 Te quoque sidereis , Cyllare , junxit equis.
 Atque ibi tot fessum stadiis , bellique cruentum
 Pulvere , cum Domino te quoque nectar aliâ.
 Turpe est emeriti senium non pascere servi :
 Non eget hoc dominus : verùm eget hic domino.

SYMBOLVM CIV.

Momus , deorum omnium irrisor.

Ex Variis.

Ethicè.

1. Libido carpendi & obtrectandi.
2. Osores hominum.
3. Cen-
sores aliorum.
4. Sutor , ne ultra crepidam.
5. Maledicentia
redit in autorem.

CÆteros deos ac deas , denique sequitur *Momus* , Deus ipse , quam-
 quam Divorum omnium reprehensor & carptor . Progenitus est
 patre *Somno* , matre *Nocte* . Proprium ejus naturæ , ipsum qui-
 dem nihil operis edere , sed aliorum deorum acta & opera curiosis ocu-
 lis contemplari , & siquid est omissum , aut perperam factum , id summa
 cum libertate carpere : unde & nomen accepit ; nam *μῶμος* Græcè , *re-
prehensionem* Latine sonat . Is inter deos Neptunum , Vulcanum , Mi-
 nervam de artificio contendentes , judex delectus , omnium opera repre-
 hendit.